

DISSERTATIO

Qua de

SATURNO,

An

REX FUERIT ABORIGINUM

Disquiritur,

*Ex indultu Ampliff. Facultatis Philosophicae
in Regia Aboensi Academia,*

SUB PRÆSIDIO,

VIRI CELEBERRIMI

Dn. Mag. ANDREÆ

W X Y Z /

Poët. Profess. Reg. & Ordinarii,

Pro GRADU MAGISTERII

Publico bonorum examini modeste submissa

à

PETRO IGNATIO, A.F.

Helsingforsensi,

Loco horisque consuetis

d. 8: Febr. Anni M DCC XII.



A B O Æ,

Exc. HENR. C. MERCKELL, Reg. Typogr.

Jugäskstad & Lr Secretarien Jämsläni

STATURNO

REX FUERIT ABORIGNUM

Dilectissimi,
Ex iudicij auctoritate, hanc in theologia
in Regia athenis academia,

SUB PRESIDIO,
NICOLAI CALBERGII

DOMINI ANDREAE

PRO GRADU MAGISTERII

Insuper in eorum examini modeste habuisse

PETRO IGNIATII, A.E.

Hellingshöll,
anno d. 8. Febr. Anni M DCC XII.

Ab. Hans C. Merckell, Reg. Typogr.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

Magnæ Fidei Viro,

Regiæ Cancellariæ Consiliario

Nobilissimo & Generosissimo

DOMINO,

**DN. JOHANNI
SCHMEDEMAN,**


Musarum ac Literarum mæcenati

& Patrono Propensissimo,

Domino

meo

Gratiosissimo.



Nvaluit jam non exiguo
ab hinc tempore ista lau-
dabilis sane ac neces-
saria consuetudo, ut clientes
Mæcenatum suorum, quorum
beneficiis aucti essent, favorem
gratiamque, grati submissique
animi indicio, quando aliter non
possent, demererentur, nisi pror-
sus pro ingratis salutari vellent.
Eorum quoque è numero me esse,
hac rerum mearum facie, confite-
or, dum exercitium hocce Aca-
demicum publicæ luci daturus,
Tuam, Nobilissime ac Generosissi-
me Domine Mæcenas, in beatum
parentem meum, cum in vivis
esset

ellet , benevolentiam , & derelictis ejus liberis præstita beneficia , humillima mente prosequi , in animum induxi. Cui cum verba rebus immensis respondentia haud facile reperiantur , conscius tenuitatis meæ à proposito haud difficulter deterreri possem , nisi tuus, Nobilissime ac Generosissime Domine , in genitorem meum favor inusitatus , & virtutum omnium , quæ in Te splendent , incredibilis concentus , gratiam eandem eundemque favorem iis , qui operam studiis impendunt , polliceri viderentur. Quæ cum animo diu hæsitanti velut calcar addant , viles hæc lucubrationes , licet ob
angus

angustiam temporis, mira con-
tum consistentes, Splendido No-
mini Tuo, Nobilissime ac Gene-
rosissime Domine, in tesseram hu-
millimi gratissimique pectoris,
consecrare nequaquam dubito,
Spem fovens certissimam, fore,
ut Tibi, Nobilissime ac Genero-
sissime Domine, non tam rei ob-
latæ offerentisq; humilitas, quam
pius & innoxius conatus excuse-
tur. Accipe igitur Nobilissime
ac Generosissime Domine, fron-
te serena, hunc meum Saturnum,
& patere, venientem è longin-
quis terris, ad limen ædium Tua-
rum excubare; quo me, in poste-
ram, parente orbatum opisque
egen-

egentem, favoris gratiæque Tuæ
benignissima aura sublevare recor-
deris. Ubi interim ego pro Gene-
rositatis Tuæ perenni incolumita-
te, calidissima, dum vixero, vota
nuncupabo.

**Nobilissimæ Generosi-
tatis Tuæ**

Cliens humillimus

PETRUS A. IGNATIUS,

Ad
Clarissimum Dominum Candidatum
PETRUM IGNATIUM,
cum
DISSERTATIONE GRADUALI
Saturni apud Aborigines Regnum
in controversiam vocaret:

Audes, IGNATI, Regum fraudare
Latinos
Principe? quo divum se genus
esse probant.

Quo Latio quondam venit de nomine
nomen,

Et Capitolini collis in urbe decus.
Cui simul ut late radiabant atria Regi,
Tempora mox auri stamine cuncta
fluunt.

Queque trahunt ferro nunc nobis fila
sorores,

Huic molli fuerant aurea ducta colo.
Tu tamen hunc tollis; sed ne SATURNIA
Pallas

Hec Tibi detrectet neclere ferta, cave,
festinab.

AND. P. X. Y. S. Z.

§. I.



Ens Aborigi-
num antiquitate
inter reliquas,
quibus possessa
per plurimas Ita-
lia fuit, ipso e-

tiam fatente Felto, facile prin-
ceps, quanquam *αὐτόχθων* à qui-
busdam credita sit, tamen coloni-
am fuisse docet Lib. I. Dionysius.
Hæc etenim omnium prima sub
auspiciis filiorū Lycaonis OEnotri
& Peucetii è Græcia deducta, di-
visis sedibus, quadam sui parte


A

sub

sub OEnotriorū nomine in extrema Italiae ora, pulsus Ausonibus, apud fretum Siculum, alia Peucetiorum nomine appellata in Apulia confedit. At OEnotri, hac terrarum parte non contenti, OEnotriam suam (hoc enim nominis à Duce coloniae accepit) ad alias versus interiora Italiae huic cohærentes Ausonum terras protulerunt, donec his debellatis, in Reatinum agrum expeditionem susciperent, interea mutato nomine, sive ἀπὸ τῆς ἐν ὄρεσιν οἰκήσεως, ὡς ὑπεράκριοι Ἴνδες καὶ παράλιοι Ἀθηνησιν, ut vult prædicto lib. I. Dionysius, sive alia potius origine incerta, Aborigines dicti.

§. II.

Fuerat olim Reatinus ager in
Sicu-



Siculorum ditione, qui primi in
omni memoria non modo omne
Priscum Latium sed & totum *Sabinum*
agrum tenuerunt, utrisque ter-
rarum spatiis, ut diffusa limitibus
erant, vetusto Siciliæ nomine
comprehensis. At hanc agri Si-
culi partem circa Reate oppidum,
jam ante Umbrorum quidam oc-
cupaverant, quam huic vicinam
transtulissent sedem Aborigines;
Hi igitur Umbris, expeditione in
illos deinceps confecta, mox quic-
quid tractus circa Cutiliam lacum
& Reate Oppidum est, ademe-
runt, unde proximos demum Si-
culos aggressi sunt, nullis quam his
æque infensi; quos cum prius lon-
gis atterere bellis non destiterunt,
quam vi cederent, agri illius,
quem postea Sabini tenuere, ma-
gnam

gnam partem sibi in perpetuas sedes cessuram occupavere, quam novo *Saturnia* nomine dixerunt.

§. III.

Quanquam enim non omni inter Apenninum montem, Narem, Tiberim, Anienemque amnes, agro Siculos ejecissent Aborigines, antequam admitti ipsis essent Pelasgi, qui post Aborigines, secundi Græcorum in Italiam delati, opem in debellandis reliquis tulerunt, Saturniæ tamen ei nomen ab Aboriginibus jam ante Pelasgorum adventum inditum fuisse ex oraculi ad Dodonam responso, consulentibus, quibus locis hærent, Pelasgis, ut est apud Dionys. Halicarnass. Lib. I. & Macrobius Lib. I. cap. 7. patet.

Nam

Nam hi, cum variis agitati casibus ex Theffalia illuc migrassent, certa sibi domicilia quæsituri, his jussi sunt ab oraculo *Saturniam terram* & Cotylen Aboriginum urbem ac lacum cum fluctuante insula quærere.

Στείχεθε μαιόμενοι Σικελῶν Σαθρνίαν αἶαν,
 Ἡδ' Ἀβοριγινέων κοτύλην, ἧ νᾶσϞ
 οἰχεῖται.

Pergite quærentes Siculum Saturnia rura,
 Atque Aboriginiden Cotylen, ubi se insula
 vectat.

Unde cum *Σικελῶν* dixit *Σαθρνίαν αἶαν*, intelligimus hanc terram, quam Siculi ante Aborigines tenuerunt, jam ante Pelasgorum illuc susceptam migrationem dictam fuisse Saturniam; cæterum non à Siculis sic appellatam, cum non horum sed Aboriginum Rex habitus fuerit Saturnus.

§. IV.

Sed hanc Saturniam vel simul, vel saltim non multo post tempore (quanquam unde tracta ratio nominis sit, incognitum) Latium, appellatam fuisse constat ex citato Macrobiani loco, cum eisdem Pelasgos in Latio prædictas sedes invenisse refert: *accepta, inquit sorte, quum Latium post errores adpulissent, in lacu Cutiliensi enatam insulam deprehenderunt. hoc miraculo deprehenso, bas sibi sedes prædictas esse didicerunt.* Unde postquam Pelasgi in partem sedium simulque in societatem belli contra Siculos recepti, in unum corpus cum Aboriginibus coivere, Siculorum tum gente, agro Narem inter & Anienem amnes prorsus exacta, uno quoque cum iisdem Aboriginibus nomine dicti sunt

sunt *Latini*. Cæterum pulsi rursus primo Narem inter & Anienem, Latio, à nova Sabinorum gente ex Opicis profecta, cum trans Anienem quicquid agri ad mare usque reliquum erat, occupassent, Siculis tum per Italiam inferiorem in Siciliam concedentibus; nomen quidem Latii à pristina in hanc inter Anienem & mare inferum ad Circæum usque promontorium, sedem illatum est, quod ei, donec esse ipsi desierunt Romani, perpetuo mansit; at *saturnia* appellatio, si aliquamdiu intra hos fines stetit, mox periisse prorsus videtur, aut minus placuisse.

§. V.

Ostensis pro ratione instituti, cum ortu Aboriginum, qui postea
Lati-

Latini dicti sunt atque Romani,
tum eorum domicilio, Saturnia,
olim prisca Siculorum illa Italia,
postea Latio dicta, cujus nomen
in totam quoque inter fretum Si-
culum Alpesque Italiam postmo-
dum transiit; proximum est, ut
unde id nominis ea regio accepe-
rit videamus. Atque in eo dum
occupamur, ex illis qui quid in ea
re certi sit, prodere nituntur, oc-
currit Macrobius, qui cum Satur-
nalia: Lib. I. cap. 7. retulit *Satur-
num classe in Italiam advectum ab Jano
Aboriginum Rege in Societatem Regni
admissum fuisse, & paulo post ante illum
excessisse, Janum dicit excogitasse bo-
norum ejus augmenta, ac primum ter-
ram omnem ditioni suae parentem Satur-
niam nominasse.* Illum autem Tro-
gus, ut testis est breviator ejus Ju-
stinus lib. 43. & Isidorus de ori-
gine

gine gent. Romanæ, di fertissimis
 verbis Aboriginum Regem faci-
 unt, ejusque de nomine Italiam,
 peræque ut modo Macrobius,
Saturniam appellatam esse affirmat, ut
 proinde horum testimonio nil vi-
 deatur certius, quam quod ab
 Aboriginum Rege Saturno, anti-
 qua illa Sicilia, quæ postea Sabi-
 nus Latinusque ager fuit, dicta sit
 Saturnia.

§. VI.

Quod si est, ne dubitare qui-
 dem, quin Saturnus Aboriginum
 Rex aliquando fuerit, ulterius lice-
 bit. Nam præter modo nomi-
 natos auctores, quibus, ut vidi-
 mus, Saturnus diserte Aboriginum
 Rex est, primos eorundem Reges
 hoc sibi ordine successisse tradit



Euseb. Chron. Lib. I. ut Saturnum
 Picus, hunc Faunus, Faunumq;
 Latinus secutus sit, secutus haud
 dubie Romanos, quorum Virgi-
 lius Æneid. Lib. 7. eandem Regum
 Aboriginum seriem textit:

— Rex arva Latinus & urbes

Jam senior longa placidas in pace regebat.
 Hunc Fauno & nympa genitum Laurente
 Marica

Accipimus. Fauno Picus pater, isque pa-
 rentem

Te, Saturne, refert: tu sanguinis ultimus
 auctor.

Igitur, quantum hinc colligere
 datur, primus Aboriginum, post-
 quam tandem in primo Latio con-
 quieverint, Rex fuerit Saturnus,
 qui quod non parum ad instruen-
 dam vitam formandosque mores
 contulisset, meruerit ut de suo
 nomine nova sedes, Saturnia,
 ipsique cives, Saturnii adpellaren-
 tur;

tur; exceptus autem ab Jano, quod ante occupatam hanc Sicularum agri partem, prior apud gentem incultam regnaverit.

§. VII.

Sed ut quam vere hic Aboriginum Rex dicatur, pateat, prius in illos, qui eum successisse dicuntur, cujus fuerint conditionis, necesse est inquiramus; quos si Reges fuisse invenerimus, de Saturno, à quo hi descenderint, quin idem affirmari possit minus erit dubium. Sed de Latino, quod aut Saturni abnepos, aut Rex Aboriginum fuerit, res adeo incerta est, ut fabulæ, quam veri, potius speciem habere videatur. Cum enim Latinum alii Hercule & Fau-
ni filia progenitum, alii Herculis

nepotem malint, rursus nonnullis filius sit Circes deæ & Ulyssis, multis frater Ausonis germanus; cur Fauni potius, quam illorum alicujus filius dicatur, equidem constare non potest. Regem autem Latii & Aboriginum fuisse, quod sedes illorum à *Latino* Latium, ipsique Aborigines Latini dicti fuerint, æque invalida niti ratione patet, cum potius Latinus & Aborigines Latini à Latio dici potuerint. Et terram, quæ Anienem inter & mare inferum est, ubi circa adventum Æneæ regnasse perhibetur Latinus, non primum appellatam Latium fuisse, sed jam ante illam, hanc, quæ Nare & Aniene includitur, eo venisse non nomine, ex prius dictis manifestum est.

§. VIII.

Nihil igitur ex Latino de Saturno Aboriginum Rege concludi potest. Jam ad Faunum, quem Latini parentem Saturnique nepotem faciunt, cum oculos convertimus, non ille fragilem mortalis naturam, sed divini quid se præferre autumat. Non enim, ut creditur, animalis is Deus, hoc est Rex Aboriginum fuit, postea ob merita inter Deos consecratus, sed Naturalis, Deus universitatis, sive rerum natura, qui Græcis Pan. Nam patet id cum ex eo, quod Panici terrores, ut testatur Dionysius, à Romanis ad Faunos, ut auctores referrentur, tum quod Faunus, quemadmodum observavit *Vossius*, idem quæ Bona Dea fuerit, quippe quæ aliter dicta

Fauna & Fatua : is quidem, ipse qui *Tellumo*; hæc, eadem ac *Tellus*; quia terram utroque nomine coluere, illo ut marem, cum in ea attendere-
retur vis activa, ut semina producat: hoc ut foeminam, cum passiva intelligeretur, quæ semina recipiat. Cæterum *Faunus & Fauna* sive *Fatua* dicta ob oraculis est, quæ ab numine in lucis peterentur, ubi futura tradita sit voce non signis ostendere; à *Φαύω* quidem *Faunus & Fauna*, at à *Φάω* sive fatu oraculorum *Fatua*. Idem igitur numen cum *Faunus* cum illa sit, quæ bona dea & *Fauna* est, cujus venerationem Evandrum ex Arcadia in Latium intulisse testatur *Livius*, nullum ejus, quod Aboriginum Rex, aut Saturni nepos fuerit, vestigium adparet.

§ IX.

Nunc Picum, quem Fauni parentem esse volunt, quam vere Saturno patri Regiam inter Aborigines dignitatem asserat, superest ut videamus. Sed & illum perperam inter Reges Aboriginum relatum esse invenimus. Quanquam enim creditur Picus, cum simul augur esset, domi avem picum Martium aluisse, per quem futura noscebat, eoq; locū fecisse fabulæ, quod ob spretos Circes amores ab ipsa conversus sit in avem picum Martium; commentum tamen id esse apparet, inde haud dubie ductum, quod, ut auctor est Dionysius, apud Aborigines in Matiena, oppido in Sabinis, ubi oraculum Martis erat antiquissimum, avis, quem picum nominant, in

columna lignea , ut Dodonæ columba in sacra quercu , non in privata aliqua domo , sed in publico dei sive templo seu nemore vaticinata est ; in quo Pico Martio verisimile est stultam gentem potius credidisse Regem aliquem suum augurii in vita peritum superstitem existere , quam quod , dum viveret , ab ave , ex qua augurium capiebat , Pici adsumere nomen voluerit.

§ X.

Probato igitur , hos , qui Saturni progenies dicuntur , non modo non Aboriginum Reges , sed ne nomina quidē Fauni atque Pici humanæ naturæ appellationes fuisse , manifeste concluditur , ipsum quoque eorundem Regem Saturnum , non minus quam cæteros illos , fabulo-

iosum esse. Non igitur Aboriginum Rex, sed Deus Saturnus erat; quem Cræcos jam ante, quam in Italia ejus sacra instituerentur, ex iis quæ in annalibus suis retulisse apud Macrobi. Saturnal. lib. I. c. 7. Accius legitur, coluisse apparet; sic enim ille:

*Maxima pars Grajū Saturno, & maxima
Athens
Conficiunt sacra, quæ Cronia esse iterantur
ab illis.*

Postquam autē OEnotri, qui postea Aborigines & Latini, quibus priores nullos ex Græcia, in Italiæ ora transisse constat, in coloniam profecti sunt, primi quoque Saturni non modo venerationem, sed nomen quoque, ut de eo dicerentur cum ipsi, tum terra, ubi fixam demum sedem invenerunt, in Italiam invexisse videntur. Posteriores tamen eorum Romani, sive ut ex vetustissima ori-

rigine initia gentis suæ arcesserent, sive quod res antiquiores omnibus minus innotuerint, Saturnum veterem Latii Regem habuerunt, hosque posteriores sibi id quoque persuasisse, maxime cum Reges olim Deorum inferi solere ordinibus scirent, credibile est.

§ XI.

Quanquam enim per Saturnū, qui Græcis κρόνος, quasi χρόνος dicitur, veteres solem & cum ipso tempus significasse, aut qui κρόνον τὸ χρόνον τοῦ κρᾶν εἶν deducunt, rationem temporis occulti & omnia commiscentis habuisse verissimum sit, quo posteriori modo Saturnum quoque à ἠρό derivant; quin tamen Saturno multa quoque affinxerint, quæ vel primo homini, vel illi, qui alterum generis humani initium erat, per

per famam convenire acceperant, ob indicia, quæ in eo utriusque evidentissima docti jam dudum observarunt, dubium non est. Itaque Romani, quod fecere aliæ gentes antiquissimæ, suis primordiis varias adstruentes fabulas & *ἱερωϊκὰς*, quo ut rerum dominio, ita generis simul origine cæteros præstarent, Saturnum, qui idem antiquissimus generis humani fator esset, primum in gente sua Regem constituisse non dubitarunt. Hinc mirum non est, quod cum Deus fingere-
tur, regno tamen expelli, profugus esse, agriculturam docere, rursus tres genuisse filios, qui orbis inter se imperium distribuerint, dicatur; quorum priora Adamo, postremum illud Noæ congruere obiter notamus.

§ XII.

Cæterum, ut in instituto maneamus, ulterius hæc, quæ de Saturno non Rege hæctenus allata simpliciter sunt, tandem ex Jano, qui Saturnum in Italiam advenientem hospitio excepisse dicitur, probari existimamus. Quanquam autem & illum ferant regno obtinuisse Italiam, idque cum Saturno, quem hospitem exceperit, participata potentia possedisse, conditis communi opera, ubi sedes posuerint, oppidis vicinis, utriusque nomen referentibus, ut Maro lib. 8. expressit :

*Hanc Janus pater, hanc Saturnus conde-
dit arcem:*

Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Tamen nec hunc Regem esse, sed vel in eo vestigia apparere Noachi, quem

quem pro antiquissimo Deorum suorum coluerint Romani, ex eo patet, quod eum bifrontem expressum fuisse testetur Macrobius, inde haud dubie, quod per famam innotuerit ipsum & priorem vidisse mundum, & illum post diluvium; vel esse in filium Japheti, qui Europæorum, ut ille Græcorum origo erat, à quo *Ἰάνες* qui primitus, ut observat ex Homero Vossius, *ἰάνες*, unde *Ἰάνω* *ἰάνω* & hinc Janus, dicti.

§ XIII.

Quod autem Janus prior Saturno apud Italos regnasse, eumque in regni adscivisse societatem dicitur, id inde esse autumo, quod *θεὸς ἀρχαῖος τῆς Ἰταλίας ἐπιχώρα* putaretur, ut de eo, teste Cluverio, loquitur Herodianus; quamquam

quam & ejus quoque numen à Græcis, & forte jam ab iisdem his OEnotris in Italiam deportatum rectius dicatur, Saturno tamen, quem quidem tum maxime colebant, vetustius habitum, ut eadem hic, quæ in Græcia, unde migraverant, sacrorum ratio constaret. Proinde id sibi ad ostentationem originis rursus arripientes Romani, Janum & in Latio regnasse, & Janiculum, quod verius in ejus tantum tutela fuerit, condidisse perhibuerunt.

§ XIV.

Sed & non inepte, quod ad hunc Saturni in Italiam adventum attinet, dici potest, Latinos nomen Jani finxisse in aliquo Aboriginum Rege, ad quem Evander, quo

quo duce Pelasgi, Secundi Græcorum Italiam intraverunt, mox ab Aboriginibus in partem sedium & commune Latinorum nomen excepti, pervenit, in ipso autem Evandro nomen Saturni; quippe cum Evandro præter literarum usum, quem ut Tacitus in Annalibus testatur, primus Aborigines docuit, etiam illæ artes, quas solus ostendisse Saturnus dicitur, tribuerentur, ipsum quoque Saturni nomen videntur ipsi tribuisse posteriores Latini, Evandrum in Saturno cultu mixto honorantes, ita tamen ut Saturnum Deum istas artes & invenisse & mortalibus tradidisse existimaverint. Unde, quoniam Evandrum advenam fuisse in Italia constat, originem traxisse fabula de Saturni in Italiam ad-

adventu & Jani erga eum hospita-
litate videtur. Sed hæc cum sic
ab omni parte collata sint, satis
ut spero, superque liquere potest,
Saturnum nunquam Latii Regem,
sed Deum fuisse. Tuam vero Le-
ctor Candide, æquam super his cen-
suram submisisse ac officiose

expeto.

Soli DEO Gloria,

